



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

9. An contrahatur irregularitas, quando quis negativè se habet ad alterius mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

occurrere possit, quando Appellatio esset frivola, & perniciofa, non incurretur irregularitas ex delicto, quia non peccatur, nec irregularitas ex defectu, quia, ut sic non sunt iustitiae Ministri, nec Milites in bello iusto, Si vero temere, & sine ratione Appellationem removeant, etiam si non cogant, peccant. Quare non acceleratur mortis Rei, & consequenter irregulares non sunt.

Consilium mortis propter bonum publicum.

39. Consilium dedi Petro, ut se exponeret periculo mortis pro bono publico, vel privato, cui se exponere licet poterat, occisus est, & ego de mea irregularitate ambigo.

Respondeo, ne, quales, ambigas, sed certo scias, cum Gibal. de irreg. c. 4. q. 2. n. 19. te non esse irregularem propter rationem valde similem ei, quae dicta est n. 30. ut item quid simile dictum est §. 3. n. 13.

De dubio in praedictis remissio.

40. De hoc locutus sum satis in superioribus, puta c. 5. §. unic.

De irregularitate ex Ratihabitione, seu Approbatione Homicidii.

41. De hac breviter, sed quantum sufficit, l. 5. in Decal. c. 4. §. 5. n. 7. dixi, & late habes apud Gibal. de irreg. c. 4. q. 1. n. 45. aliosque ab ipso citatos.

§. I. X. An contrahatur irregularitas, quando quis negative se habet ad alterius mortem?

1. Diximus supra §. 2. a num. 37. omitterem facere, quod quis debet ex iustitia, ex qua omissione sequatur mors alicujus, fore irregularem; omitterem vero facere, quod quis debet ex Charitate, unde similis mors sequatur, irregularem non fore. Admonui tamen Gaspar. Hurt. aliosque, quibus nunc adde Leand. de irreg. n. 2. d. 10. q. 87. & 88. censere etiam illum, qui Omittit ex iustitia, non fore irregularem, atque addidi, & huc explicandum remisi, ut haec sententia sit probabilis, dictam omissionem debere esse puram. Quare, quoniam sit haec puritas hic enodandum venit.

2. Illa est ommissio pura, cui nullus adjungitur actus positivus, illa autem non pura, cui positivus aliquis actus adjungitur. Exemplis res evadet clarissima.

Exempla pura omissionis.

3. Titius est praetor Urbis, vel custos Viarum, vel Dux exercitus, vel precio conductus, vel ex consanguinitate obligatus, sive ex charitate, sive ex iustitia ad defendendos suos. Verum in occasione aliqua illos nequaquam defendit, unde permittit aliquem ex his occidi. Peccat quidem graviter, sed non est irregularis, quia haec est mera ommissio, cui non adnectitur ullus actus positivus. Idemque aliqui ut G. Hurt. de irreg. d. 2. dif. 9. n. 34. citans Vals. in man. de irreg. l. 9. d. 63. dub. 3. & prob. put. Io. Prap. q. 5. de ir. d. 10. n. 29. & Dian. p. 4. tr. 2. ref. 7. dicunt esse, etiam si dolo, & scienter illa mera permissio fiat, quia non exstahit permissio ab esse puro negativo, cui soli nequaquam irregularitatem adnexerunt Canones, sicut supra dixi haec probabilis sententia.

4. Medicus, Naclerus, Advocatus, Procurator, quamvis ipsi conducti fuerint, si nihil agendo, sive ob imperitiam, sive ob odium, perire sinant aegrotum, Navim, Clientem, non incidunt ex hac probabilis sententia in irregularitatem, licet peccent contra Iustitiam. Quare Medicus v. g. qui jam fortasse habuit, ante pretium sui laboris suscipiendi, sive deinde curam Infirmi suscipere nolit, sive ea suscepta, illam non exhibeat, sive urgentiore tempore deferat, unde moriatur Infirmus, peccabit quidem contra Iustitiam, ut dixi, sed ex hoc peccato irregularitatem, propter ejusmodi puram omissionem, non contrahet. Ita praeter citatos Val. in

diff. utriusque fori V. Homicidium diff. 5. auctorem sequitur Palat. Caiet. Ita etiam Leand. l. 2. de irreg. d. 10. q. 87. aliqui.

5. Iudex capite damnavit tuum fratrem, sed si aliquem pecuniam offeras, is liberabitur, Gallator filium tuum inclusum apud se retinet, teque per internum tuum, nec, ut ei aliquot aureos mittas, secus filium occidet, Iudex, vel Hostis tuum patrem captivum interficere volunt, nisi tu illum mortem competentem pecunia redimas, nec tu praedictas pecunias numerare negligis, vel omittis, non eris, teste Vgol. de irreg. l. 6. §. 4. p. 19. (qui haec et omisso pura) irregularis, illorum morte secuta, etiam si supponamus ex j. iustitia te debere illas pecunias numerare. Dico (si supponamus) nam de hac re l. 5. in Dec. c. 1. §. 1. n. 9. a me dictum est satis.

6. Inquires hic, Si Petrus tibi suadeat, ut praedictas pecunias ex iustitia debitas non numeres, cum Petrus morte secuta, irregularis? Idem quoniam potest, si Petrus tibi suadeat, ne defendas aliquem quem defendere moris, vel ne tu dives des elemosynam egero, qui pro me perit, vel tu ne M. dicus cures inimicum, vel tu molitionem mortis alicujus reveles, &c.

Respondeo, non esse, putat Vgol. n. 10. d. 10. q. 87. & sequenti, quia licet non es irregularis tu, qui es principalis, & non numeras illam pecuniam, vel ad illas actiones pure regere te habes, ita & Petrus, quia haec suadet. Verum non est audiendus, si suasio Petri fuit causa, ut v. g. pecunia illa non mitteretur. Ratio est, quia tunc mors illa merito imputatur Petro dissuadenti, cum enim is non negativus habet (ut te habes tu, qui non mittis) sed maxime potest per actum persuadendi, incurrit in irregularitatem adnectam ex Sacris Canonibus actui positivo, ut modo diximus, & mox in exemplis iam ponendis clarius videbitur.

8. Objicis, Mirum est, Petrum, qui se remotius habet ad mortem praedictorum, incidere in irregularitatem, non vero te, qui immediatus.

9. Respondeo, non esse mirum, quia Petrus potest habere, cui actioni Sacri Canonis conjungitur irregularitatem, tu vero nihil agis, cui omissioni non est ad eisdem Sacris Canonibus ulla irregularitas adnecta.

10. Illud tamen adverte, si Petrus id persuasit bene sine v. g. ne iudicis iusta sententia pecunis impeditur, ne Gallatores, ad ejusmodi lucra extorquenda, assisterent, ne hostes illa pecunia fortiores evaderent, Petrus non fore irregularem, quia non est putandum Ecclesiam voluisse sub tanta poena recta & rationabilia consilia prohibere, ut in simili dictum est saepe. Nam propterea nec irregularem fore, puto eum, qui deterseret amicum, ne a manibus Satellitum eriperet illum, qui damnatus ducitur ad mortem, quando id faceret, ne impediret actus Iustitiae, vel ne amicus, sic incidere in aliquod propriae vitae periculum.

Exempla omissionis non pure, id est alii aliquid adnectum.

11. Notarius, Procurator, vel quicumque alius habet scripturam, qua visa, quis a morte liberaretur, advertens autem, eam perquiri ad d. cum hominem salvandum, ipse eam non solum non profert, sed non ostendit, nam sic esset ommissio pura, de qua in praecedentibus numeris dictum est, verum etiam illam occultat, vel ad transfert, ut inveniri non valeat, vel lacerat, vel corripuit, vel rogatus, negat, apud se illam servari, etiam morte secuta, irregularis, quia omissioni ostendendi scripturam adjungitur actus positivus illam occultandi, lacerandi, &c.

12. Testis non solum, non se sistit iudici ad testificandum in favorem alicujus, qui hoc teste delictus capite punitus fuit; haec enim esset pura ommissio? verum etiam rogatus dixit, se nihil scire, irregularis erit ex delicto, quia illi omissioni adjungitur hic actus positivus.

13. Amicus destinat te nuntium, ut Petrum admoveas, ipsi insidias parati a suo inimico, Tu vero non solum,

non admones (hæc enim esset pura omisso, etiam si suscepisset curam admonendi, & etiam si malo animo contra Petrum ipsum non admoneres) verumetiam heteras, quas idem Amicus tibi consignavit ad Petrum, in quibus de istodem infideli ipsum admonerat, apud te tenuisti nec Petro reddidisti, irregularitatem non effugies, si Petrus occidatur, quia illa retentio actus positivus est.

14. Dices: Illa susceptio curæ admonendi, nonne etiam est actus positivus? Cur ergo omisso illi coniuncta non parit irregularitatem?

Respondeo, quia susceptio eiusmodi, quamvis actio positiva, nimis remote se habet ad occisionem; neque enim susceptio curæ admonendi infert ullo modo mortem, sicut, nec infert in Medico susceptio curæ infirmi, ut modo n. 4. dictum est.

15. Consultant aliqui Petrum occidere, tu assistis, tacetque, eris irregularis, morte Petri secuta; illa enim taciturnitas in iis, circumstantibus non est pura omisso, sed, quia affectum animi consulantibus, est tacitus consensus: Idem resolve de assistentia amicorum, dum aliquis ex illis aliquem occidit, ipsi vero assistunt. Idemque resolvitur solet de Principe Ecclesiastico temporali iurisdictione pollente, qui assistit, quamvis nihil dicat, executioni mortis ipsa enim præsentia Principis auctoritatem dat exequentibus.

16. Mulier concepit à Petro, aitque se velle abortum factus animati causare, id, quod audiens Petrus, tacet, unde mulier secuta voluntatis Petri, facinus cum effectu aggressæ, est, sic irregularis Petrus propter eandem rationem n. præced. dictam, ut notat etiam Castr. de cens. d. 6. p. 15. §. 7. m. 4.

17. Ambulat Primo, quis de nocte per loca abrupta. Secundo, Alius naufragi navi eiectione iactatur in undis. Tertio, Alius, per angustum pontem, flumen pertransire tentat. Quarto, Alius ad tuæ domus ianuam confugit, quo persequenter inimicum effugiat. Tu vero cum possis, nec faciem præfers primo, nec secundo tabulam, seu funem, nec tertio comitem te addis, nec quarto ianuam forte clausam aperis. Non eris irregularis, si horum consequatur mors, quamvis ex odio ad hæc non exhibenda motus fueris, quia hæc sunt puræ omissiones. At vero, si adverteres ad eorum pericula, faciem forte accensam extinguis, unde noceas primo, si tabulam, vel funem abreptum submoveas, unde noceas secundo. Si tabulam Pontis dissipas, unde noceas tertio: Si ianuam forte apertam claudas, unde noceas quarto, irregularis eris, postquam aliquis prædictorum pereat, quia hi sunt actus positivi. Excusat nihilominus hunc quartum P. Prætes in manu de irreg. d. 4. cap. 4. num. 20. fol. 462. si ianuam claudat ob finem bonum, puta, ne sua domus damnum aliquod patiatur: quod certe solum intelligi debet de damno notabili, & eius rationis, ad quod subeundum, te obligare, non præsumitur Ecclesia, iuxta modo dicta n. 10.

§. X. De irregularitate orta ex occisione facta à Ministris iustitiæ, quæ dicitur ex defectu lenitatis.

1. Occisio iusta, quantum ad nos in præsentia pertinet, vel fit à Ministris iustitiæ, vel à Militibus in bello iusto, vel ad defensionem sui: de singulis separatim, & in hoc quidem §. De prima.

2. Conclusio certa est hæc. Iudex Pontifex inferior, qui in causa sanguinis fert sententiam iustam de morte, vel mutilatione alicuius, fit (ea certe secuta) irregularis ex defectu lenitatis, quæ fuit in Christo. Quam late explicat S. Th. 2. 2. q. 40. Nav. in summ. cap. 27. num. 206. Henr. l. 14. c. 10. n. 1. Cat. de i. d. n. 97. Percurre singulas clausulas.

INDEX.

3. Quicumque (excipitur Summus Pontifex, qui, ut Pars III.

supra c. 2. n. vidimus, non est irregularitati subiectus) Clericus, vel Laicus live ordinarium, sive delegatam habeat potestatem, cum eadem sit ratio d. omnibus, hic merito comprehenditur.

4. Illud nihilominus discrimen est inter Clericum, & Laicum, quod Laicus solum incurrit irregularitatem: cæterum, iuste damnans, meretur. At Clericus, etiam iuste damnans, præter irregularitatem, quam contrahit, peccat, & quidem graviter, eo, quo graviter Clericus prohibetur, C. Sape 23. q. 1. §. 8. C. Sentent. ne Clerici, vel Monachi, ne se ingerat in causam sanguinis.

In Causa Sanguinis.

5. Hoc est in causa mortis, vel mutilationis membri, (de qua mutilatione mox expressius dicitur) id enim ex usu loquendi significat causa sanguinis. Hinc si sententia feratur de aliquo præfocando, vel veneno, fameve, sine effusione Sanguinis occidendo, erit nihilominus causa sanguinis. Contra, si feratur de sanguinis effusione, ut de verberatione usque ad sanguinem, sed sine periculo mortis, vel mutilationis, causa sanguinis non erit.

6. Quid si Iudex aliquem iuste damnaverit crudo carceri, vel ut eadem non porrigatur, nisi panis, & aqua, quo pacto, si statim is non obit, certe ex eiusmodi angustis illi (ut contingere non raro solet) accelerata est mors?

7. Respondeo. Si, consideratis Rei viribus, eadem fuerint permixta necessaria vitæ, nullam irregularitatem timebit Iudex, quia per accidens, tunc ille moreretur. At, si ea permixta non fuerint, vel carcer valde humidus fuit, unde, vel data esse, vel notabiliter accelerata iudicetur mors, erit irregularis Iudex ex defectu lenitatis, quando ad hæc iuste reum damnavit, puta, ut sensum moreretur, at ex delicto, quando iniuste, &c.

8. Confirmo, quia carceres fetidi, humidi, subterranei prohibentur, ut notat Farin. q. crim. 27. n. 95. §. 194. Vide etiam Men. de arbit. l. 2. casu 305. & Gom. Var. t. 3. c. 9. num. 6. V. Quia carcer. Leg. director, inquit, p. 3. §. 8. comm. 107. & solum conceduntur quando quis per sententiam iustam ad mortem sensum suscipiendam condemnatur.

Dixi autem modo (notabiliter accelerata) nam ex ordinariis carcerum angustis, patetque victu diminui aliquid de viribus, & consequenter de vita, iam scimus, sed addimus, non incurri tunc irregularitatem ullam, quia, si iusta est condemnatio, iam permixta, imò requisita à Sacris Canonibus est ea diminutio. C. Novim. de verb. signific.

Fert sententiam iniustam.

9. Si enim iniusta sententia, non ex defectu lenitatis, sed ex homicidio voluntario, secuta morte, fore iudicem Irregularem, nimis est ex dictis manifestum.

10. Sunt autem nonnulli, qui iudicem faciunt ex defectu lenitatis irregularem, etiam antequam sententiam mortis ferat. Sed in merito, quia licet, dum quis est iudex, non possit promoveri ad Ordines, quia est Curialis, potest tamen iudicatu relicto, sed non est irregularis, antequam sententiam sanguinis ferat, imò, neque antequam eum effectu sequatur mors.

11. Ideo iudex, ut & Princeps, etiam delinascens sub cortina, & omnes Ministri iustitiæ, etiam infimi Satellites, si assistant executioni mortis in locis suæ ditionis (nam in alienis sunt, ut supponimus, sicuti homines privati, non Ministri) irregulares fiunt, quia ipsorum auctoritate mors infertur. Privati autem alij, ut, & famuli teste Avil. de Censur. part. 7. disput. 5. sect. 2. dub. 1. conel. unica. Henr. l. 14. cap. 14. num. 2. mere ad obsequia Dominorum Domestica additi, etiam si cum Dominis assistant, immunes sunt ab irregularitate, quia, ut item supponere debemus, nihil conferunt ad sententiam exequendam.

M m 2

12. Quid